

Iungendus his est publius Iste publius sempronius sophus istis precedentibus viris Iungendus est qui coniugem suam repudii nota affecit nihil aliud pro causa habens nisi eam ludos ausam se ignorate spectare. Ergo dum sic olim feminis occurritur mens earum a delictis aberat. Nam cito feminis occurrendum est & semper malum presumitur in genere conseruacionis humane quando inuito marito aliud operantur: ideo mens earum a delictis absens erat quia eas sic antiqui constringendo puniebant.

Ceterum & si romane In ista parte ut dictum est circa principium capituli agit valerius de aliis gentibus a romanis: & externa exempla seueritatis ponens: & primo continuat propositum secundo exequitur ipsum ibi lacedemonii: dicit ergo ceterum. i. sed & si exemplis seueritatis romane totus terrarum orbis instrui potest tamen non sit fastidio legenti extranea exempla summatim & breuiter cognoscere.

lacedemonii libros Hic ut dicebat prosequitur propositum & permittit lacedemoniorum exemplum. Notandum ergo quod archilochus magnus fuit poeta: qui ut aliqui dicunt lambum pedem inuenit: & non solum magnus: sed vel summus vel summo homero proximus hic multos libros fecit: sed specialiter aliquos instituit versus obscenos & lubrica continentes quibus animi iuuenum faciliter ad lasciuam properabant: & ut non haberent despectu ipsos subtili ingenii sagacitate composuit: ut pro carminum subtilitate turpis materia non despiceretur. Hoc autem ideo fecit ut iuuenes ciuitatis lacedemonie ad turpes mores induceret quam ciuitatem habebat inuisam & odiosam: ut quam non poterat ferro percuteret verbo: sed illi de ciuitate post tempora suos libros omnes de ciuitate sua pelli iusserunt. Et hanc historiam tangit valerius dicens lacedemonii ciues libros archilochi ciuitati sue exportari iusserunt quia eorum lectionem parum verecundam ac pudicam arbitrabantur.